



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1671.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

nes & momenta crebris lectionibus scruta-
batur, hoc uno infelix, quod mentis dubiæ
scrupulos nemo Catholicus absteserit.

ANNO 1671.

Pontificatum Clemens X. auspicari vo-
luit quinque Beatorum apoteosis, quos
solenni ritu Sanctorum numero adscripsit.
Hi fuere Cajetanus Thieneus, Philippus
Benitius, Franciscus Borgia, Ludovicus
Bertrandus, & Rosa Limana, omnes festivis
ubique plausibus celebrati per orbem Chri-
stianum.

Hoc anno demum post longos sed inu-
tiles questus conjuratæ rebellionis pœnas
dederint suppicio ultimo captivi Magna-
tes Hungari. Post cædem mutatus antiquis
status Hungariæ, suppressis nonnullis offi-
ciis, quorum autoritate vel cæpta vel pro-
mota fuerat rebellio, templa ab Hæreticis
repetita, eorum ministelli, quod de justitiâ
Cæsaris male loquerentur, ex regno facesse-
re jussi, arces insuper nonnullæ exstructæ,
quibus gens lubrica fidem suam contineret.

Lotharingiam frustra repetit à Rego
Galliæ Cæsar, per ablegatum Comitem
Windisgrazium exuli Duci Carolo.

Tumultuatum hoc anno iterum, iterum-

que

que ac tertio Messanæ non sine cædibus ac incendiis, jam à popularibus adversus Nobiles ob caritatem annonæ, jam à Nobilibus adversus Ministros Regios prætextu conservandæ libertatis, quam à Præfecto rerum militarium inductione militis Hispani imminutum iri querebatur Nobilitas.

Nec Rhenus inferior vacavit tumultibus ob orta dissidia inter Electorem & civitatem Coloniensem, Electore patrocinium Ludovici, Civitate Leopoldum libertatis vindicem interpellante. Hujus armis sub Marchione de Grana repressus conatus eorum, qui in turbido piscari nitebantur.

Dum Polonia laborat intestinis dissidiis, Turcæ juncti rebellibus Cosacis irrumunt in Volhimiam, & Podoliam obsident, capiuntque Caminieckam, etiam potituri Leopolisive Lembergo, nisi pax ignominiosa non minus quam damnosa obsidionem solvisset.

ANNUS 1672.

EVerardus Nitardus annitente Regina Hispaniæ, cui à Confessionibus fuerat, promovetur ad purpuram, ut eò splendidius ornare possit characterem Oratoris Coronæ Hispanicæ, quo anno elapso insignitus fuit.

Etu-